

ordinem confugiunt, si viderint, in quas sese tenebras ultro abdant, Si ignotus ille ordo, quo argumento exstare comprobabitur? eritne ille diversus a conspicuo hoc totius mundi corporei ordine, an idem cum eo? si idem: quomodo incognitus? si diversus: an etiam oppositus? at repugnat utique, ut eodem tempore in eodem mundo duo ordines inter se pugnantibus obtineant; si autem non oppositus, tum cum noto nobis ordine congruet; quid igitur? an nihilominus effectus secundum illam eventientes huic repugnabit? an non potius huic quoque conformabitur? demum si ignotus ille ordo, qua ratione Prophetis, Apostolis, aliisque pietate conspicui innotescere potuit? innotuisse autem vel ex eo luculente patet, quod ordinis huius effectus praeviderint, praedixerint, illicque secundum illorum verba, aut verba constanter evenerint.

SOLUS DEUS EST VEREA CAUSSA MIRACULI.

XCVI. *Solus Deus est causa efficiens principalis miraculi.* Miraculum, utpote effectus supernaturalis (§. 93.) vel absolute non provenit a vi substantiae creatae, vel ab ea quidem provenit, sed non ut agente secundum universales naturae leges (§. 91. coroll. 1.); quidquid horum sit, sua constat propositioni veritas. In priori siquidem casu aperte consequens est, ut illud a vi substantiae increatae, quae Deus est, proficiscatur: in posteriori autem substantia creata agit secundum legem quampiam extraordinariam pro singulari hoc casu praestitutam, ac proinde ad nutum, et specialem jussionem Dei, qui solus statutus a se leges mutare, notamque sancire potest; sed ejusmodi causa ministerialis est; et instrumentalis aequiparatur; alteraque, ad cuius nutum actio exercetur, principalis audit (ont. §. 147. et sch. 1.): in utroque igitur casu solus Deus est causa efficiens principalis miraculi.

Coroll. 1. Miraculo igitur velut vivae Dei voci auscultandum; neque fieri omnino potest, ut doctrina, in cuius confirmationem patrat, vera non sit.

Coroll. 2. Atque ideo infinitae Dei bonitati, veracitati, ac providentiae repugnat, ut miraculum edatur iis in adjunctis, in quibus spectatores secundum omnes humanae prudentiae leges ad falsam doctrinam amplectendam inducerentur.

Schol. 1. Neque vero quis in dubium vocabit, opinor, mutationem universalium naturae legum ad solum Deum pertinere; ille enim solus supremum in res creatas dominum obtinet, hocque usus dominio has leges constituit: quare, etsi ignoremus, cujus efficacitatis vires creatorum spirituum sint, id tamen certissime affirmare licet, ipsos generales naturae leges perturbare, aut aliqua ratione immutare non posse. Errant igitur, qui Clarkium secuti genis quoque seu bonis, seu malis vera miracula patrandi potestatem tribuunt (*Syst. intell. c. 5. s. 1. §. 8.*). Non animadvertit Clarkius, inquit Moshemius in Cudworthum, incredibile omnino, et a ratione aversum yleri, Deum, qui summa sapientia leges

naturae ianxit, et rogavit, inferioribus naturis tantum virtutum largitum esse, ut, si velint, legibus illis modum queant ponere. Certe nulli sapientiam, et providentiam suam probaturus esset rex ille, qui ministris suis facultatem daret, leges magna cura excitatas a se, ac roboratas pro lubitu vel abrogandi, vel impediendi, Neque causam aliquid video, cur de supremo Numine aliter nobis existimandum sit. — Nulla rescum veritate, et religione major sit, haud esse tantam inde liquet malis genis potentiam a Deo datam, quantumque ceteroquin ea in se sit, ut vel ad errorum confirmationem, vel ad veritatis coelestis oppugnationem, miracula pro lubitu, et arbitratu facere queant. Nimis remotum a divina sapientia, et benignitate videtur, ut daemones, quibus odio sunt homines, et divina veritas, potestate, quam acceptam a Deo habent, libere utantur ad consilia divina invertenda; hominesque in vitia et errores inducendos. Nemo, ut opinor, sapientem et reipublicae cupidum regem illum diceret, qui eodem tempore, quo ipse leges utilissimas rogat, hostes suos patere tur perniciosas circumferent sententias, populoque suam ad exitium sternere, siquidem his conatibus resistere posset.

QUAE DE VIRIBUS SPIRITUUM OPINIONES?

Schol. 2. At vero etsi omnino certum videatur, nullam esse spiritibus puris in universales naturae leges potestatem: id tamen inter doctissimos quoque viros acriter disceptatur, utrum iisdem omnino absolute vis deneganda sit, qua utpote validiores, sagacioresque hominibus, multa efficere queant, quae in se quidem naturae legibus consentanea sint, nobis tamen iisdem adversa appareant, atque ideo speciem quandam miraculi prae se ferant. Duae sunt haec de re sententiae; affirmantium una, negantium altera: ego utriusque partis momenta ea, qua fieri poterit, brevitate enumerabo: utraeque verior sit, lectoris est arbitrium.

Ad priorem accesserunt Leibnizius (*Essai de Théod. p. 3. §. 249. Récueil. de div. piéc. t. 1. écrit. 2. et 5. §§. 44. et 117.*), qui effectus a genis patratos miracula respectiva, ac inferioris ordinis compellavit, Martinus Delrio, et recentius auctor anonymus (*Traité des miracles. à Paris 1763*). Sed omnium acerrime eam propugnavit Cudworthus (*Syst. intell. c. 5. s. 1. §§. 84. seqq. Loc. cit. not. 1. ad §. 36.*), cuius doctrinam magnis praegatis extulit Moshemius, atque compendiarie ita proposuit: *Negat vir doctissimus (Cudworthus) tantas esse malorum geniorum vires, ut vera possint edere miracula, id est, naturae leges, quas Deus ipse posuit, vel tollere prorsus, vel etiam mutare: concedit autem fieri ab illis posse multa, quae nobis videntur miracula, et hominum omnium facultates excedant. Neque est (subdit) inter philosophos et theologos aliquis, qui hac de re dubitationem nunquam commoverit. Distinguunt contra omnes inter*

miracula, et inter mirabilia; haec efficit posse à genitiis affirmanti illa negant. Addit vir eximius: hac potestate non uti posse pro libitu, et arbitrata inter homines caecodaemonem, praesertim cum res agitur verae Religionis: sed tum tantum, cum Deus id patiatur, permittere autem in Deum non aliter, quam cum eum qui explorare velit hominum erga se voluntatem, aut populos, qui lucem veritatis diu spreverant, et contempserant, justissimis poenis afficere, et in errorum servitutem tradere. Atque superius quidam si facere velit, non sinere supernum Numen, ut ad aliorum dogmatum confirmationem caecodaemon miracula (intellige, illa mirabilia) patriet, quam eorum, quorum turpitudinem, et falsitatem simplicissimus quilibet statim perspicere valeat. Et vero, ut nonnulli arguant, spiritibus ab omni corporis compago separatos multa in hoc mundo praestare posse, ut omnes reliquae substantiae creatae, et creati cum sint, ad eam rem seriem, quae totam hanc universitatem constituit, pertineant, quam ob rem certis quoque legibus à Conditore praestituta in agendo adstricti videntur. Quae quidem hypothesis si assumatur, facile intelligitur, quomodo naturaliter, et salvis naturae legibus effectus prosum mirabiles à spiritibus effici queant? quemadmodum nempe, cum ope antilab aquam elevamus, aut lapidem sorsum projicimus, lex generalis de gravium descensu non mutatur, cum alia aequae generalis, qua corpora directionem vis fortioris sequi jubentur, extet; ita cum spiritus secundum sibi legem praestitutam quidpiam agit; communis naturae leges, inter quas et illa locum habet, minime laedit. Addunt deinde quam plurima tum ex veteri gentium historia, tum ex ipsis SS. litteris (*Deut. c. 13. v. 5. Matt. c. 24. v. 4. v. Thessal. c. 2. v. 9. 10. 11.*) testimonia, in quibus inter pretandis contrariae sententiae patrōni ingenitum violentiam adhibere coguntur, ut id, quod cupiunt, exculpat; difficultium nimirum esse putant, ut omnia loca; in quibus vel ipsius caecodaemonis, vel ejus ministrorum miracula commemorantur, de fraudibus solum, dolis, et fallaciis inimicorum veritatis intelligantur. Proferunt quoque exemplum Magi, aperiuntque, et occultant, et tanta dexteritate, ut Pharaonis praesentis oculos laterent, in omnem circa regionem dispergere (*Exod. c. 7. v. 22. c. 8. v. 7.*)? Cur deinde non ea quoque ratione scorpiones educere potuerunt (*ib. n. 18.*)? Cur denique summi Numinis professi sunt: *digitus Dei est hic (ib. n. 19.)?* Audiamus rursus celeberrimum Moshemium (*In Cudw. l. 5. v. c. §. 86. p. 871.*). *Si autem egissent omnia Magi, Moyses, et sibi et causae, quam tuebatur, Dei haud melius consulere potuisset, quam si fraudulentes, et calulis hominibus istis speciem suam detraaxisset, arcanaque eorum scelera, et flagitia, Pharaoni, Aegyptisque omnibus aperuisset. Ita omnis caecidisset hujus generis auctoritas! Aegyptus perspectis magorum fraudibus, nec religionem amplius, nec rem publicam tam sceleratae credidisset familiae, novis denique, et sceptus repetitis miraculis ad succidendam Pharaonis mentem haud fortassis opus fuisset. Hoc ergo cum minima Dei hic legatus feceris, sed multitudine miraculorum potius*

sturis, et praestigis philosophorum, et theologorum gentiliū ea accipere? Tum ad explicationem hanc corroborandam provocat ad viros omnium aetatum doctissimos et ad ipsum S. P. Benedictum XIV. (*De Can. SS. l. 4. p. 1. c. 3. n. 4.*). Quod vero deinde dicantur in S. textu virgae verae, fuisse in dracones, id de substitutione commode intelligi posse putat, quemadmodum alias dicitur *luctus versus fuisse in gaudium (Reg. 19.)*. At interpretationem communi SS. PP. ac celebriorum Scripturae interpretum opinioni adversam esse contendunt alii, laudantique per se Tertullianum (*L. de anim. c. 57.*) Justinum M. (*Q. orth. resp. ad q. 26.*), Ambrosium (*In c. 3. ad Tim.*), Hieronymum (*Q. 2. ad Agasiam.*), Gregorium Nissenum (*L. de vit. Moys.*), Ruperfum (*In Exod.*), Prosperum (*De praemiss. p. 1. c. 15.*), Sedallum (*Carmel. l. 4.*), Augustinum, Thomam Lyranum, Tostatium, Peireirum, Cornelium a Lapide, Josephum quoque Flavium (*Am. l. 2. c. 5. Loc. cit. n. 14.*); neque Benedictum XIV. quidpiam praesidii adferre; inuit ille quidem, ajuunt, versionem eam pro substitutione accipi posse; at non clare exprimit, utrum hanc substitutionem. Magis ipsis an in eorum gratiam à daemionibus factam fuisse putet, quin hoc ipsum intellexisse argumento est, quod laudato in capite ab initio ad numerum 17. usque haec quae pertractatur; utrum malis angelis vis, ac potestas vera miracula parandi competat? Quam Sanctissimus Pater ita definit, ut detracta vera miracula edendi potestate vim tamen mirabilia efficiendi daemionibus tribuat: ita docet posse angelos etiam malos naturali sua virtute ignem ex superiori aëris regione demittere; posse item vehementissimos ventos concitare, quibus maxima hominibus damna inferantur. Sed redeamus ad magos Aegypti: demus ipsos serpentes aliquot praeparasse antea, et in sinu absconditos tenuisse; quomodo aqua fluminis in sanguinem convertere? Quomodo item tantum ranarum numerum et brevissimum intra tempus colligere, et occultare, et tanta dexteritate, ut Pharaonis praesentis oculos laterent, in omnem circa regionem dispergere (*Exod. c. 7. v. 22. c. 8. v. 7.*)? Cur deinde non ea quoque ratione scorpiones educere potuerunt (*ib. n. 18.*)? Cur denique summi Numinis professi sunt: *digitus Dei est hic (ib. n. 19.)?* Audiamus rursus celeberrimum Moshemium (*In Cudw. l. 5. v. c. §. 86. p. 871.*). *Si autem egissent omnia Magi, Moyses, et sibi et causae, quam tuebatur, Dei haud melius consulere potuisset, quam si fraudulentes, et calulis hominibus istis speciem suam detraaxisset, arcanaque eorum scelera, et flagitia, Pharaoni, Aegyptisque omnibus aperuisset. Ita omnis caecidisset hujus generis auctoritas! Aegyptus perspectis magorum fraudibus, nec religionem amplius, nec rem publicam tam sceleratae credidisset familiae, novis denique, et sceptus repetitis miraculis ad succidendam Pharaonis mentem haud fortassis opus fuisset. Hoc ergo cum minima Dei hic legatus feceris, sed multitudine miraculorum potius*

regis animum expugnauerit, effici hinc posse putem, non tam dolis, quam auxilio daemonum armatos ad certamen cum Moysae quoque processisse. — Ipsa deinde magorum miracula non sunt talia, ut leges naturae evertant, aut commode a genio quodam fieri nequeant. — Adstiterunt meo iudicio daemones quidem his hominibus, et sublatis repente baculis serpentes quorum ingens erat in Aegypto copia, in medium proiecērunt. Praeterea alia eruditissimi huius auctoris, quae huc quam maxime facerent, ut cum solidissime ostendit verba Servatoris nostri (Lob. cit. p. 369. Matth. c. 24. v. 24.): *surgent enim pseudochristi, et pseudoprophetae, et dabunt signa magna, et prodigia ita, ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi: unice de fraudibus, et dolis intelligi non posse; neque enim, quod praecipue urget, gratia, et electio; sed ratio potius, et intellectus ad detegendos dolos requiritur, quae in reprobis quoque dari possunt. Tum et illud S. Pauli de Antichristo loquentis (1. Thess. c. 2. v. 9.): *cujus est adventus secundum operationem satanae in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus, ubi verba illa secundum operationem, Satanae $\alpha\alpha\alpha$ $\epsilon\pi\alpha\gamma\gamma\iota\sigma\iota\sigma\iota$ $\eta\sigma\iota$ $\epsilon\pi\alpha\gamma\gamma\iota\sigma\iota$ oppositam interpretationem prorsus excludunt (L. cit. §. 83. n. 1.). Similiter haec duo evincit; primum absurde, et periculose ad morbos tantum corporum, eorumque curationes detorque-ri, quae in libris novi foederis de daemonibus hominum corpora obsidentibus, eorumque electione referuntur (Ibid. §. 89. not. 5.). Alterum: eam opinionem rationibus non destitui, nec falsitatis aperte argui posse; quae docet daemones, oraculorum quorundam apud veteres auctores fuisse, Sed et istud in causae istae patrocinium adducens, qui vim efficiendi miracula spiritibus indulgent, quod ad veras partis patroni in explicandis id genus eventibus ad praestigias, et illusiones daemonis saepius recurrant. Nec ipse doctissimus Cauzius ab ea responsione alienus videtur; cum ait (De cult. mag. l. 1. c. 5. §. 180.): *Separandae diaboli, detentones in erroribus idolatriae quia immo tempore adventus Christi, et post eum ad demonstrandum in omnes spiritus dominatum a divino numine admissae obsessiones demoniacae. Et rursus: Quid igitur daemonis potestate dicemus? Possumus admittere illusiones ab eo factas idolatriae cum S. Athanasio. Jam vero haec ratione satis stabilliri putant commercium quoddam daemonis cum hominibus: quid enim? Quaerunt, si daemon tenet; si illudati si in idolatria homines detineat, an non vi sua naturali quaedam efficere poterit, quae nobis miracula videantur? Istud vero qui admisserit nulla prorsus operationes, quas dicunt magicas, a deique nostra quoque aetate edri posse difficillime conficiet. Deinde quid illae daemone praestigiae, ac illusiones sonant? Duplici illae modo tantum intelligi possunt, ut docet Clericus (Pneum. l. 2. c. 4. n. 11.): *A quibusdam ita intelligantur, quasi esset, sen-****

sibus obijciant, ut domus v. g. ibi videatur esse, ubi nulla est. Sed ut hoc fiat, aut cerebrum spectantium movent, ut solet moveri, quando observatur domus, aut in aere domus speciem, quandam, quae oculos spectantium percillat, extruunt. — Praestigiae ab aliis dicuntur artes quaedam in sola dextertate, et celeritate stae, quales sunt aegyptiorum, qui manuum dextertate, et motu celerissimo portenta quaedam vulgo edere videntur. Quidquid igitur praestigiarum nomine ipsis veniat, veram aliam actionem, quam aertem negant, occulte daemonibus attribuant.

Venio ad alteram opinionem, quam eorum esse, Moshemius ait, qui sapientia ceteris praestare sibi visi sunt: hi omnia generatim ac sine discrimine in vulgi commentis reponunt, quascumque de miris geniorum operationibus in historiarum monumentis referunt. Defendunt hanc sententiam prae reliquis Samuel Werenfelsius (Diss. de mir.) Joann. Alphonsus Tutretinus (Diss. de verit. rel. chr.) Arnoldus Noltenius edita singulari dissertatione Francofurti ad Viadrum anno 1717. Jacobus Seres; tum Scipio Maffeus (Ars mag. in nih. reducat.) Ferdinandus Sterzingerus (Betrachtung der Zauberers.) Academiae Boicae Socius, Ardoino dell' Osa (Nicht. tigkeit, der Hexerey, und Zaubermumst.) vero nomine P. Jordanus Simon ordinis S. Augustini, et sapienter iam laudatus a me Cauzius, alique. Omnes hi in praecipui argumenti loco fraudes innumeratas, quas hac in re contigisse certum est, fusa oratione persequuntur. Verum his illud opponi potest, quod Moshemius (Syst. intell. c. 5. s. 1. §. 89. n. 3.) de veterum oraculis in Cudworthum adnotavit. *Si vel sexcenta docuero oracula hominum calliditate, atque dolis esse edita, haud tamen id argumentum esse poterit reliqua oracula ejusdem esse generis, nisi antea luculentis planum faciam rationibus, fieri nullo modo posse, ut daemones vel per ministros suos, vel alio modo de rebus iuribus homines erulant. Nec omnino credibile est daemones nunquam se immisicisse in superstitiosos, et magicos veterum ritus, cum tamen ipsum eorum cultum sibi vendicasse, et gentes in idolatria detinuisse, Cauzius ipse cum aliis profiteatur. Addunt deinde impletionem desiderii hominis impii non posse esse rationem sufficientem, ut Deus permittat daemone quidpiam homini praestare; quin pugnare cum Dei providentia, et bonitate videtur, ut ipse totum fere genus humanum fratribus diaboli sic ita decipi sinat. At non ejus desiderii impletionem reponunt alii, esse ejus rei rationem sufficientem, sed Deum alios posse habere fines suis perfectionibus conuenientissimos, cui interduam admittat, ut impio hominis desiderio per quoddam daemonis servitium satisfiat; neque id infinitae ejus bonitati officere, quemadmodum non officit, quod maxima generis humani officere dei neri in idolatria a daemone passus sit; immo si divinae bonitati adversum non sit, admittere, ut homines per homines, ariolos nimirum, magos, et sacri-*

fiellos turpissimis modis decipiantur, et in absurdos plane errores inducantur, cur eidem repugnet, ut homines daemonum praestigis aliquando deludantur? Dedit nempe Conditor optimus hominibus rationem, quae, ut ipsorum opinione dolis hominum detergendis par est: ita quoque ad geniorum malorum illusionem discernendas sufficere potest. Ajunt denique daemonephobiam, quae necessario ex hac doctrina profluit, obesse religioni, veramque in Deum fiduciam ex mortalium animis delere (*Vorgänger Ver suchzu Erweirung Kung eines Vertrung zwischen dem in dem bischerigen Hexerey. Kriege verwohleten Gelehrten*). Verum alii fiduciam hanc inde augmentum potius accipere contendunt, quemadmodum qui se a daemone continuo tentari posse norunt, non propterea spem, ac fiduciam in Deum abijcunt; sed eo magis eam amplificant, quo magis inde egestatem suam, ac divini auxilli necessitatem agnoscunt. Quod si quis derelicto Deo ad daemoneum opem confugiat, id uni ejus impietati tribuendum erit, ut qui contemptis divinis instinctibus tentationis consensus praebet, culpam sibi soli adscribat, necesse est. Sed de his fortasse satis videatur quoque auctor, qui ignorari voluit.

CAPUT III.

De Criteriis veri Miraculi.

QUAE CRITERIA MIRACULI -- ET QUOTUPLICIA?

XCVII. *Criteria* miraculi eae sunt notae, seu characteres, per quos miraculum verum, et proprie tale ab effectu solum mirabili, et specieem aliquam miraculi prae se ferente certitudine morali discerni potest. Horum notitiam accuratam sibi comparat philosophus, necesse est; nisi cum rudi plebescula in plurimos errores praecipitare velit.

Schol. At vero hic opus, hic labor; etsi enim effectus miraculosus per id, quod supernaturalis sit, in abstracto facillime a quovis alio dignoscatur: difficillimum tamen est, in casu quovis individuo certum ea de re iudicium ferre. Habet hic verus illud Epicharmi locum: *nervos esse sapientiae nihil temere credere* (*In Ouidior. c. 5. s. 11. §. 89. nat. 1.*). Quod in has notas generatim attente non sentio cum Moshemio, qui eas reddissimorum quorumque capti ac commodatas esse oportere contendit; praeterquam enim quod insignis rerum physicarum peritia, quae in vulgo non cadit, omnium consensione requiritur, rudes muneris sui satisfaciunt si sese doctiorum, ac saniorum praesertim pastorum iudicio submittant.

XCVIII. Effectus mirabilis, de quo, num in miraculis habendus sit, quaeritur, potest vel 1.) reapse non extare, sed incertis solum vulgi rumoribus confictus esse; vel 2.) provenire a causis materialibus, quarum vires naturali quiescent, sed insolito, ac nobis ignoto

modo in casu quodam singulari compositae effectum mirum, et extraordinarium producent; vel 3.) effici a circumscriptore quodam oculis fraudibus, dolis, ac iis artibus, quae a dexteritate manuum, agilitate corporis, aliisque similibus fallacis pendent, utente; vel 4.) a veteratore daemoneum opo adjueto, seu ab ipsa naturali malorum geniorum vi, et efficacia; vel 5.) ab homine probo auxilium ferente angelo bono, sive reapse a vi naturali boni genii secundum leges sibi a Deo praestitutas agente; vel denique 6.) a Deo ipso ut causa principali, seu cum, seu absque causa ministeriali, operante et in hoc ultimo solum causa vera miraculi ratio adest (§. 96.) ut igitur veritate miraculi moraliter certo pronuncietur, necesse est, ut diversa praesto sint indicia, per quae illud primum a vulgi fabulis, tum ab effectu naturali, et saurarium materialium, et fraudulentorum hominum, et spirituum quorundam eadem certitudinis diiudicetur. *Schol.* Argumenti dignitas postulat, ut haec indicia fusiori oratione persequamur.

QUOMODO VERUM MIRACULUM DISCERNITUR AB EFFECTU FABULOSO?

1.) Eventum contigisse nisi usu sensuum, aut auctoritate constare non potest: quare cum ea de re quaestio instituitur, leges criticae, quas de utroque in logica (p. 2. c. 5. 6. et p. 3. c. 4.) copiose suppeditavi, in subsidium vocandae sunt. Haec ratione certi reddimur evenisse omnino ea facta, quae de Moysae Hebraeorum duce Christo Salvatore nostra, ejusque Apostolis in sacris litteris referuntur et ea, quae a testibus coaevis, et oculatis SS. Augustino, Ambrosio, Hieronimo, aliisque narrantur: neque in dubium vocari possunt nisi ab eo, qui omnem fidem humanam abjecerit. Ex eodem vero capite explodimus Atti Naevis prodigium, qui insperante Tarquinio, ac populo Romano eotem novacula discidisse perhibetur: nullo enim idoneo teste nititur, ut vel ex ipsa Livii narratione patet, quin risum fuisse, et in fabulas reatum ex Tulio manifestum est (*De nat. D. l. 3. c. 6.*). *Nec possunt, ita ille, Atti Naevis, quem commemorabas, lituum continere. Sed qui ista intellecta sunt, et philosophis deo discere, praesertim cum pluribus de rebus isti divini mentiantur. Et rursus: Omittite igitur lituum Romuli, quem in maximo incendio negas potuisse comburi: contemne eotem Atti Naevis: nihil debet esse in philosophia commentitii fabelli loci* (*De div. l. 2. c. 38.*). Ita quoque fide minime digna censemus facta quaedam prorsus stupenda, quae Philostratus Apollonio Tyanaeo tribuit, nam auctores aequales de iis siluerunt, et Philostrati librum fabulis, mendaciis, erroribus geographicis, contradictionibus, et iis, quae certis historiae romanae monumentis contraria sunt, scaterere demonstrant Eusebius Caesareensis *L. adv. Hierocl.*, Photius (*Bibl. cod. 44.*), Scaliger (*In Eusebium*), Baronius (*Annal. t. 1. an. 78.*), Huetius (*Demon. E. angel. prop. 9.*).

AD EFFECTU MIRABILII ET NATURALI SUBSTANTIARUM MATERIALIUM?

- 2.) Miraculum discerni debet ab effectu mirabili, qui a viribus causarum materialium insolito modo concurrentibus interdum producit; ut cum mulla Reate peperit, aut Theani Sidicini puer cum quatuor manibus, et totidem pedibus natus est, qualia velut verissima prodigia laboriose olim Julius Obsequens collegit (*Prodig. lib. imperf.*). Hic vero opus, est egregia rerum naturalium peritia, qua quae vulgus destituitur, plurima in miraculis numerat, quae talia nequaquam sunt. Physicae igitur diligentem navem operam, causasque naturales, constantes motuum leges, ac totius, qua cognosci potest, naturae ordinem perscrutentur, necesse est, quibus de miraculis sententiam ferre incumbit. Neque tamen, quod supra monui (§. 95. schol. 2. n. 5.), omnia sine discrimine in dubium vocanda sunt ea solum de causa, quod omnes naturae vires, earumque efficacitas a nobis cognosci haud potest; ut enim multa non lateant, scimus certo non esse, eam in saliva cum pulvere commixta vim, ut oculos caeci nati continuo aperiat: scimus certo eam in veteratorum morborum esse naturam, ut non subito, et uno prope momento, pronuntiatis quibusdam vocabulis formato crucis signo, aut solo vocis imperio prorsus tollantur, viresque amissae redeant. Quare effectus non duntaxat secundum suum esse physicum considerandus est, quod studioso monet auctor anonymus (*Traité de miracul. p. 1. c. 3. et 18.*), et multis probat Hollmanus in commentatione philosophica de miraculis, et genuinis eorum Criteriis, cujus epitome actis Lipsiensibus (*Ad. ann. 1718. pag. 28.*) inserta est; sed ad id multo maxime animus averti debet, utrum in his adiunctis, in quibus effectus, producit vis quaedam naturalis operetur, quae si tum abesse deprehendatur, nihil obesse potest, quod vis ejus modo ceteroquin ad effectum sufficiens in tota natura extaret. Atque istud quemadmodum in difficillimorum morborum curationibus a Cristo Domino adhibitis certissime; ita in illis, quibus sibi Apollonium tantam apud rudissimam plebeulam famam concitavit, minime obtinuit; fuerat, nempe circumscriptor ille egregia pro illorum temporum ratione scientiae medicae cogitatione imbutus, quod studium sectae pythahoricae, in qua ipsa nomen profitebatur, imprimis proprium fuisse Jamblypoum testaturum reliquit (*Vit. Pythagorae c. 15. et 34.*); nec nullas ea in arte progressionem fecerat, cum maximam adolescentiae partem in celeberrimo ad Egas Esculapii fano transiegit, ejus sacerdotibus familiarissime usus, quos medicae admodum peritos fuisse vel et eo colligi potest, quod omnis ejus idoli cultus, ac religio in diversorum morborum curationibus consistit: vide Arnobius (*Cont. gen. l. 1.*) item Lucianus in Philopseude (*Opp. l. 2. p. 333.*) Hoc porro adjumento instructus eas orientis regionis peragravit in quibus ob ingentem medicorum penuriam in Diis numerabantur, qui corpora aegris aliqua ratione mederi scirent: quare mirum non

est Apollonium factis quibusdam curationibus tantam in rudibus, ac superstitionis animis commotionem effecisse ut alter Esculapius vel Chiron haberetur. Magistrum hunc suum egregie secutus est Alexander quidam, quem similibus fraudibus ignoranti plebi illuisse auctor est Lucianus in Pseudomanti (*Opp. t. 1. p. 750.*) Hac quoque pertinent morborum sanationes in Esculapii templo ab ipso Deo, si mendacibus sacrificiis fides habenda foret, reapse ab illis ipsi per medicamenta naturalia occulte applicata procuratae (*L. 3. d. 124.*) Quemadmodum demonstravit Origenes adversus Celsum, et ex laudata Luciani Philopseude patet, cujus haec sunt, verba: *Esculapius, ejusque posteri salutaria pharmaca, admoventes medebantur. Consulatur quoque Moshemius (In Cudv. c. 5. s. 1. §. 84. not. 2.).* Quamvis alia praetio quoque conduxerit; qui se Esculapii ope sanatos publice mentirentur; quam ob rem Aristophanes (*Pluto act. 5. v. 555.*) servulum qui nomen Carion, has sacerdotum Esculapii fraudes jocose exagitantem in scenam induxit.

AD EFFECTU NATURALI CIRCUMSCRIPTORIS?

- 3.) Necesse quoque aliquando est, ut miraculum a consuetis circumscriptorum fraudibus, et dolosis artibus discernatur: quo quidem ipsa haec, quae nunc de Apollonio, Alexandro, et Esculapii sacerdotibus commemoravi, aliqua ratione pertinent; sed fuisse etiam alia, quae huc proprie referuntur, ab Apollonio patrata dubitari vix potest; quale illud est, quo populo Ateniensis imposuit, per se in foro daemnicum ab infesto hospite, qui in ejus rei signum statuum in portu regio dejecerat, liberatum fuisse. Hujus generis quatuor in vulgus sparsa sunt; Vespasianus oris supero caecum, et impulsionem pedis manu captum curasse; ad dudum viri doctissimi Daniel Huetius (*Demon. Evangel. prop. 9. n. 6.*), Baronius (*Ad ann. 71. n. 6. et ann. 119. n. 2.*), Bellarminius (*De notat. Eccl. c. 14.*), aliquo demonstrarunt, eas sanationes ab occultis Aegyptiorum sacerdotum Serapidis, inter quos Alexandriae res acta est, fraudibus profectas, morbosque eos ab hominibus praecorruptis simulatos fuisse Vespasianum nimirum elatus adulationis Flavii Josephi, qui ipsum promissum divinis oraculis Messiam assentatorie proclamabat, et solli firmandi cupiditate adductus, id non alia melius ratione apud populum superstitiosum, ac Serapidis praesertim culti addictissimum se obtenturum speravit. Videatur Moshemius. Neque etiam praeterendum: quos praecipuorum horum mirabilium scriptores Tacitum, et Svetonium (*In Cudvort. c. 4. §. 15. not. 2.*) in his enarrandis inter se non consentire, quod enim alter de manu, hic de crure refert. *Alexandriae, scribit Tacitus, quemquam caecum monitum a Deo Serapide ad Vespasianum venisse, et rogasse (Hist. l. 4.). — Alius manuum aeger eodem Duo auctore, ut pede, ac vestigia Caesaris calcu-*

retur, orabat. Svetonius contra (Vita Vespasiani): E plebe quidam luminibus orbatus: item alius debili crure sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinem demonstratam a Serapide per quietem restitutum oculos, si insuperasset: confirmatum cruris, si dignaretur calce contingere. Inde vero patet, auctores hos nimium incertis vulgi rumoribus trihuisse, neque adeo ipsorum narrationes semper fide dignas esse. At jam quid in id genus eventibus disjudiicandis subsidiis adhibebimus? Praeter accuratissimum omnium adjectorum examen vix quidpiam certi praescribi posse videtur; nonnumquam fraudes sunt potentiores, quae a quovis non plane obtusae aciei ingenio detegi possunt; alias magis occultantur; sed et tum vigilans in singula attentio nebulas dissipabit. Quodsi tamen aliquando dubium remaneat, id facile tolletur, si sedulo observentur ea, quae mox dicam.

AD EFFECTU NATURALI DAEMONUM?

- 4.) Ut miraculum a naturalibus malorum geniorum operationibus, quas ipsi Deo permittente nonnumquam execept, acute distinguatur, varii varia praecipiant. S. Thomas ex S. Augustino docet miracula a daemonum praestigilis differre potissimum efficacia, duratione, utilitate, modo, ac fine. Hollmannus in supra laudata commutatione jubet animum converti ad contemplanda adjuncta personae, quae effectum admiratione dignum producit: tum ad susceptas actionis primarium, ac ultimum finem (§. 21. 22.). Supponere licet, ita ille, miracula omnia a quacumque demus causa ministerialiter proficiantur, ita manifeste esse comparata, ut iudicio omnium, qui vires humanas intelligunt, easdem superent, ut adeo eadem non nisi alius cujusdam invisibilis causae concursu fieri posse omnes facile iudicare queant; duo autem modo hic sunt causarum genera, ad quae duce revelatione recipere nos possumus. Deus, et qui illi inserviunt boni angeli, diaboli, et daemones, ex quorum numero alterutrum certe ad miraculosa (vel mirabilia) effectus productionem concurrere oportet, cum tertium quid neque ratio, neque revelatio praeter hos ipsos agnoscat. Qualis autem obusae homo, qui effectum viribus suis majorem producit, usus fuerit opera, Deine, an diaboli, id ex circumstantiis personarum, ut et fine, et scopo actionis dijudicandum est. Et enim si homo sit, de cuius erga Deum pietate aperte constet, hincque, quantum ex ejus actionibus reliquis cognoscere licet, honeste, et pie vivat, atque a fraude, dolo, fallaciaque liber sit: de eo jam maxime est probabile, eum solius Dei ope ad jutum effectum illud producere. Si vero accedat, illum actionibus suis nihil nisi amplificandam Dei gloriam, et promovendum ejusdem inter homines cultum quaerere, ipsum nec honorem proprium, nec divitias, fortunaeque alias, aut alia tantum ejusmodi sectari; sed unice agere, ut homo magis, magisque ad Deum agnoscendum, praedicandum, colendumque adducatur;

eum etiam in finem, quiddam factus, suscipere, ul doctrinam de Deo traditam magis, magisque eo ipso confirmet: tum vero quin talis ipsius Dei adjunctus opera agat, nullum omnino amplius est dubium. Imprimis autem sedulo hic attendendum est, num tales ejusmodi homo de Deo foveat doctrinam, quas jam ipsa sibi relicta ratio impias atque profanas esse intelligit; an vero ea de eodem, ejusque voluntate tradat, quibus in agnita veritate naturali magis, magisque, confirmetur, defectus etiam rationis suppleantur, et perficiantur. Haec Hollmannus; quae denique doctrina eo redit: verum miraculum ab effectu daemonum naturali distingui, si operans, operandi modus, finis, quibus addi potest, multitudo talium effectuum in accuratissimum examen vocentur. Sed sunt haec paullo uberius enucleanda: Examinandus igitur est.

Operans; Duplex praesentio in casu quaestio oritur, una juris, utrum daemon vi sufficiente ad effectum hunc mirabilem edendum polleat; altera facti, utrum re ipsa daemon illum effecerit. Priori penitus satisfacere nequimus, nisi tum, cum evidens esse, veram legum naturae universalium mutationem, quae ad solum Deum pertinet (§. 96. schol. 1.), factam fuisse. Posterorem ut definimus, in vitam, mores, aliasque hominis, qui effectum mirabilem patrisse videtur, qualitates oculorum, mentisque aciem intendimus, atque in his praeter commemoratas ab Hollmanno insignem quamdam animi demissionem, quae solidae pietatis fundamentum est, jure requirimus; fuit enim nullo non tempore proprius hic character omnibus illis, quos a Deo hoc dono condecoratos novimus, ut in Moyses, Elia, Jeremia, aliisque patuit. Animi contra elatio, ac superba praesumptio fidem miraculo detrahit. Postulat equidem aliorum quandoque bonum, ut dona sibi a benignissimo Numine concessa manifestentur; verum patefactionem eam verecundus quidem timor, ac modesta animi submissio comitetur, oportet: facta sua magnifice praedicare; se ipsum admirandum populo ipsolenti offerre; effectioem miraculorum palam affectare: diem, horamque edendi prodigii cum jactatione designare certa sint indicia, quibus servus diaboli a Dei famulo, Apollonius a Christo dignoscitur. Hoc potissimum argumentum usus est Origenes, cum adversus Celsum veritatem miraculorum Christi propugnavit, hoc utendum esse in demonstranda vanitate miraculorum, quibus superstiosa antiquitas se extulit, docet, Eusebius Caesareensis (Dem. Evangel. l. 3. c. 3.).

Operandi modus. Hoc imprimis referuntur ipsa operis adjuncta, quae si ridicula, puerilia, inhonesta, obscena, et ad credulitatem conformata sint, operationem daemonis manifeste loquuntur, haec enim omnia divinam majestatem haudquaquam decent: ita paganorum sacrificia, oracula, fucataque prodigia fere semper cum turpissimis actibus consociantur; ad crudelitatem pertinebant incisiones illae sacrificulorum in proprio corpore novaculis effectae, Storchenau Metaph. Lib. II.

prolium per ignem trauditiones, ac immolationes humano sanguine foedatae. Refertur deinde locus, in quo effectus patratum in fano Esculapii, aut Serapidis nequeunt nisi simulatae, aut praestigiosae, et occulta daemoneum ope membrorum curationes adhiberi: at in templo veri Dei, ad sepulcrum, aut imaginem alicujus sancti sua hominibus obsequia malus genius deferre non solet. Refertur denique subsidia, ac instrumenta, quorum ope effectus mirabili obtinetur; in his praecipue videndum, an a Deo, vel natura eo ordinentur? an eorum usus lege seu ecclesiastica, seu civili iubeatur, vetetur, aut permittatur? an ad pietatem augendam, Deique cultum promovendum idonea sint?

Finis, ad quem effectus mirabilis, qui in quaestione vertitur, natura sua tendit, vel saltem spectatis omnibus adjunctis tendere prudenter existimandus est. Hac in re extra controversiam ponitur, verum miraculum semper ultimo ad amplificandam Dei gloriam; proxime autem vel ad doctrinam quampiam confirmandam, vel ad demonstrandum alicuius sanctitatem, vel ad patefaciendam quamdam perfectionem divinam, vel ad beneficium homini conferendum, vel denique ad Dei cultum, et virtutis exercitium in spectatoribus promovendum collineare. Si igitur quis effectum mirabilem ad propriam suam gloriam, ad utilitatem et commodum dirigat; si per illum lucrum temporarium quaerat: si illo ad morum corruptionem, ad fovendas doctrinas impias abutatur, sine mora ex miraculorum numero expungendus erit. Inde omnia veterum paganorum miracula vel solo hoc titulo rejicienda sunt, quod ad polytheismum rationi naturali alioquin repugnantem, et turpissimam idololatriae superstitionem corroborandam collineaverint. Atque character hic, qui a doctrina sive illa, qua effector miraculi imbutus est; sive illa, ad quam confirmandam effectus miraculis speciem referens tendit, est hoc loco omnino praecipuus, quod miracula tum a Christo, tum ab Apostolis, eorumque successoribus perpetrata expenduntur obscurum esse non potest. Ipse olim Dominus populo suo hanc regulam constituit (*Deut. c. 13. v. 1. 2. 3.*): *Si surrexerit in medio tui prophetae, aut qui somnium vidisse se dicat, et praedixerit signum, atque portentum. Et evenerit, quod locutus est, et dixerit tibi: amas, et sequamur Deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis: non audies verba prophetae illius, aut somniantoris.*

Quod si itaque doctrina ea aperte cum ratione, morum honestate, aut alia quampiam veritate per revelationem cognita pugnet, nulla potest miraculo fides haberi; ubi contra maximum veritatis pondus accedit, si illa in se honesta sit, rationique congrua, etsi naturales hujus vires exsuperet; neque tum oberit, quod ea religioni in illa provincia, in qua miraculum patratum, dominantem opponatur; quemadmodum imperite, ut non dicam, impie aliqui contendunt. Sane si istud ita se haberet, nunquam idololatriae miraculis eorum, qui veram ipsius religionem annunciarunt, ad christiana ta-

era atplectenda permovere debissent, quod quam Imple dictum sit, nemo non vider. At in vitium circuli nos incurere ajunt nonnulli, ut qui per doctrinam miraculi veritatem, et per hanc illam demonstremus; his quidem respondere non est difficile. Doctrina confirmatur per miraculum, non vicissim; sed necesse atque est, ut doctrina antea ejus sit naturae, quae confirmationem a miraculis admittat, id est, ut possit esse vera; sique sit, tum miracula ipsam certo veram commonstrabunt. Non igitur requiritur, ut prius cognoscamus; aut ponamus doctrinam esse veram, quam certi sumus de veritate miraculi; requiritur tamen, ut prius nobis appareat possibile esse, ut doctrina vera sit, nequeunt miracula ejus veritatem comprobare nisi praestabilita, et praecognita hac possibilitate: verbo ex possibilitate, vel probabilitate doctrinae veritatem miraculi, et ex veritate miraculi veritatem doctrinae didicimus. Sunt nempe doctrinae quaedam manifesto falsae: ut polytheismus, et quaecumque sive rationi, sive revelationi clare opponuntur, quarum veritatem nulla usquam miracula comprobarent: sunt quoque doctrinae evidenter verae, quae se ipsas quodam modo demonstrant, quales multae in jure, naturae reperiuntur; haec miraculis non egent, neque ab ipsis majorem evidentiam, nisi forte comparate ad rudiores, obtinere possunt; sunt denique doctrinae ex natura sua indifferentes, ac vel solum possibiles, vel vero probabiles etiam; atque his miracula pondus addunt, nobisque certam illarum veritatem patefaciunt. Ita moralis Christi doctrina nobis magna ex parte evidens est, fuisseque talis, tametsi nulla accessissent miracula; reliqua ejus doctrinae pars clare ad Dei gloriam, et ad constabiliendam inter homines virtutem tendebat: quam ob rem non modo possibilem, sed et quam maxime probabilem apparebat; at ut summa haberetur de eius veritate certitudo, miraculis confirmanda erat. Verum omnia Servatoris prodigia in irritum cecidissent, si vel una doctrina ab eo tradita pars elare repugnans, aut quocumque modo aperte a veritate aberrasset. Ita fere hunc nodum Clarkius solvit (*Traité de l'exist. et des attrib. de Dieu, t. 3. c. 6.*

Multitudo; effectus nimirum mirabiles, qui frequentissime, et fere continenter eduntur, divinae originis esse dubitari non potest; continuam enim repetitionem eorum, quibus homines etiam ex rationis praescripto judicium ferentes in errorem induci possunt, admittere cum infinita Dei bonitate, et providentia minime congruit. Inde magi in Aegypto portenta sua praestigiosa, quae veris Moysis miraculis opposuerunt, diu continuare nequiverunt; ubi contra Moysen, Christo, Apostolis, eorumque successoribus veritatis et plurima, et continenter, et longo tempore edita sunt. Sane, ut scribit Genuesis, *numquam falsa miracula in falsae doctrinae comprobationem facta, et quidem continenter, ac perpetuo facta legunt, ut in eorum suspicionem homines venire nunquam potuerint. Providentiae enim diptinae illud est, quod enunciat Cicero: commenta delet dies.*

AD EFFECTU NATURALI ANGELI?

5. Verum denique miraculum discernendum est ab effectu mirabili, quem bonus angelus viribus suis naturalibus, et secundum leges, sibi a Conditoris suo praestitutas agens aliquando producere potest. At vero id certo definire omnino difficillimum; ignoramus enim, quid vires angelorum naturales valeant, quid forte recusent, ignoramus, quae ipsis leges constitutae sint. Id tamen dubio caret, non posse ipsos vi sua naturali quidpiam contra generales naturae universae leges moliri, ac eas praecipue, a quibus omnis hominum prudentia, consiliumque pendunt.

Quod ad miracula Christi Domini attinet, ea fuisse opera vere divina certi sumus, propterea, quod ipse iis ad comprobendam suam divinitatem usus; et semet eadem efficere clare testatus est. Haec porro difficultas non magno est opere curanda: si modo morali certitudine constet, nihil cum malo genio negotii intercedere; angelus enim, seu vi sua naturali ut caussa principalis, seu ex speciali Dei jussione ut caussa ministerialis agat, nobis minime imponet. Quare si quando simili in casu falsum formaretur iudicium, et effectus ab angelo naturaliter productus in miraculis haberetur, nullum eo ex errore damnum, aut incommodum vel contra cultum Dei, vel contra morum honestatem, sanamque doctrinam, vel contra externum reipublicae sive sacrae, sive profanae statum enascerefer. Atque inde ipsa Ecclesia, eum de aliquo in Sanctorum numerum referendo agitur, miracula, de quibus id genus unum oriri posset, tamen in locum legitima probationis admittit, quod S. P. Benedictus XIV. testatur. Sed satis de his. Porro quae adhuc de mundo, ac effectis tam naturalibus, quam supernaturalibus disserui, eo pertinent, ut supremi omnium Conditoris gloria magis semper, ac magis amplificetur (*De Canon. SS. l. 4. p. 1. c. 6. n. 11.*).

Finis Cosmologiae.

CONSPECTUS

ONTOLOGIÆ.

Prolegomenon in Metaphysicam.

Pag. 3

LIBER I

Ontologia. Prolegomenon.

7

SECTIO I.

De primis Demonstrationum Principiis.

- | | |
|--|----|
| Caput I. <i>De Primo Veritatum Necessario Principio.</i> | 8 |
| II. <i>De Primo Veritatum Contingentium Principio.</i> | 14 |
| III. <i>De Mutua Duorum Principiorum Relatione.</i> | 20 |

SECTIO II.

De Proprietatibus entium maxime universalibus.

- | | |
|--|----|
| Caput I. <i>De Impossibili, et Possibili.</i> | 23 |
| II. <i>De Ente, ejusque Essentia, ac existentia, et quibusdam aliis huc pertinentibus.</i> | 52 |
| III. <i>De Attributis, Modis, Relatione, Nexu, et Statu Entium.</i> | 42 |
| IV. <i>De Diversis Relationum Generibus.</i> | 44 |
| V. <i>De Ordine, Veritate, ac Perfectione.</i> | 51 |

SECTIO III.

De Diversis entium speciebus.

- | | |
|---|----|
| Caput I. <i>De Ente Necessario, et Contingente.</i> | 57 |
| II. <i>De Ente Immutabili, et Mutabili.</i> | 64 |
| III. <i>De Substantia, accidente, et vi.</i> | 66 |

246	
Caput IV. De Principiis, et Causis.	Pag. 70
V. De Ente composito, et simplice.	86
VI. De Extenso, Continuo, et Spatio.	94
VII. De Loco, Tempore et Motu.	110
VIII. De Ente Infinito, et Finito.	130

COSMOLOGIÆ.

247

LIBER II.

Cosmologiam. Prolegomenon.

Pag. 129

SECTIO I.

De Mundi Existentiã.

Caput I. De notione Mundi Generatim.	150
II. De Existentiã, et Origine Mundi.	153
III. De Fato.	152
IV. De Corporibus, eorumque Elementis.	163
V. De Compenetratione, et Replicatione Corporum.	173

SECTIO II.

De perfectione Mundi.

Caput I. De Fine Dei Mundum Creatis.	193
II. De Mundo suo in genere Perfecto.	197
III. De Mundo omnium Possibilium Optimo.	202

SECTIO III.

De Effectibus supernaturalibus, ac nominatim de Miraculis.

Caput I. De Natura, ejusque Legibus.	214
II. De Effectibus supernaturalibus, nominatim de Miraculis.	221
III. De Criteriis veri Miraculi.	236